



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCLV. Tutor lenocinii reus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## CCCLIV.

*Morietur antequam nubat.*

Quidam nubilem filiam habens, uxorem secreto loquentem cum adolescente vicino formoso deprehendit, quæfivit, quid loquuta esset: respondit mulier, de nuptiis filia se loquutam. Ei maritus filiam despondit: mater ait, morietur antequam nubat. Ante diem nuptiarum puella subito perit: livores & tumores in corpore fuerunt. Mulier rea est.

## S E R M O.

Dicet hæc mulier juvenem illum nunquam sibi placuisse, & repugnasse se, cum videretur illi puella destinari: illum autem utique volentem hanc uxorem habere, ad satisfactionem venisse, tunc verò minus placuisse matri generum. Itaque cum desponsam audisset filiam, quotidiana consuetudine vulgi iratam dixisse, *Morietur celerius, quam nubat.* Cæterum de fato puella, una cum accusatore queretur. <sup>1</sup> *Causam fati crudelitati fingitur.*

## CCCLV.

*Tutor lenocinii reus.*

Pupillus cum tutore agebat tutelæ, Tutor cum pupillo, adulterii. Remiserunt invicem actiones. Lenocinii tutor reus est.

## S E R M O.

Fuisse quosdam utriusque inimicos, hic tutor dicet, qui ab initio moleste tulerint: non ipsis potius relictam esse tutelam: & quoniam ab hac præda exclusi sint, distulerint spes suas in diem ultimum tutelæ, ut rudem & imperitam pupilli ætatem fraudibus suis circumscriberent. Se autem tutelæ rationes, ut debebat, reddidisse. Cæterum metuentem, ne dimissus à se pupillus fraudibus & insidiis inimicorum circumscriberetur, velut alteram ejus tutelam gesturum, in domo retinuisse. Tunc vero consurrexissent illos, qui tutelam ipsis non commissam moleste tulerant, & graviter excanduisse, ne peracto quidem tutelæ tempore, à domo tutoris pupillum dimitti: nullam occasionem

<sup>1</sup> *Causam fati crudelitati fingitur.*] Malim, cruditati affinget. Pithæus.

causationem ad despoliandum imperitum juvenem dari. Cogitasse igitur, quemadmodum pupillum, ac tutorem mutuo dolore distraherent. Nam si rationes tantum infirmarent, videbant futurum, ut optima conscientia tutor non expectaret ultimam contentionem iudicii, sed per communes amicos, propinquosque pupilli, satisfaceret: invenisse illos rationem, <sup>1</sup> qua mutuo dolore distraherent. Summis- se qui dicerent, male tractatas à tutore rationes: non omnia nosse pupillum qui taceat: si litigare velit, futurum, ut sua recipiat. Per alios inde internuntios sollicitatum maritalem animum, qui pupillum falso crimine adulterii inquinarent. Se utique maritum credulum <sup>2</sup> nihil tanti putasse, ut suspicioni suae satisfaceret. Diu hac fraude inimicorum, pupillum tutoremque deceptos: sed posteaquam veriores amici intervenerint, & se interrogaverint, quam actionis haberet fiduciam: pupillum item seduxerint, & querela causas quaesierint: tum demum apparuisse mutuum errorem: & se quaedam certius etiam ab uxore quaesisse. Detecta igitur fraude inimicorum facile depositas, quæ nullis fundamentis niterentur, actiones, & redditum in gratiam: sed tamen nondum inimicos effugisse, à quibus reus factus sit. Accusator autem non committet, <sup>3</sup> si in pupillum dixerit. Id enim crimen illi objiciet, quod ille noluerit diluere. Dicit ergo propter amorem adulteræ, illum in domo tutoris remansisse. Nam ante quatuordecim annos, incredibile est crimen, <sup>4</sup> remansisse ergo amorem, nec illam indulgentiam in retinendo pupillo fuisse tutoris, sed conscientiam, cum sciret male redditis rationibus, non esse offendendum pupillum. Mulieri autem multa donata: quacunque desideraverit, concessa. His sceleribus invicem cognitis, primo utrunque

<sup>1</sup> Qua mutuo dolore distraherent.] Malim distraherentur. Gronovius.

<sup>2</sup> Nihil tanti putasse, ut suspicioni suae satisfaceret.] Si rō suae in codice suo reperit Pithœus, admittimus. Nam Thadæus ignorat: Ætrodus quasi ab sese interposuit, sic tamen: ut [suæ] suspicioni satisfaceret. Sed alia hic fraus. Si enim intellexissent illud, Est tanti, quod alibi quoque male perceptum monuimus, vidissent utique scribendum: ni-

hil tanti putasse, ut non suspicioni suae satisfaceret. id est, nulla re deterreri potuisset ab inquirendo. Vulgata contrarium significat, nempe nulla re percelli potuisset, ut ob suspicionem aliquid faceret, aut inquireret. Idem.

<sup>3</sup> Si in pupillum dixerit.] Aut hæc corrupta, aut aliquot verba exciderunt. Idem.

<sup>4</sup> Remansisse ergo amorem.] Potius, propter amorem, aut ob amorem. Idem.

atrunque excanduisse: deinde tutorem ex conscientia rationum, omis-  
sisse potius matrimonii vindictam, quam mutuis caderet actionibus.  
Sic pares acceptasque factas actiones.

## CCCLVI.

*Filius pro meretrice patris, suam redimens.*

Quidam luxurioso filio, amanti meretricem, dedit pecuniam, ut fibi  
emeret eam meretricem, quam ipse pater amabat: ille eam redemit,  
quam ipse adolescens amabat. Abdicatur.

## S E R M O.

Hic senex dicet filium fuisse luxuriosum, & non sine maximo pa-  
trimonii ac fama damno amasse meretricem; cui malo voluisse me-  
deri patrem, saepe objurgatum filium: saepe secreto, saepe etiam pa-  
lam castigatum. Cum jam nec sumptibus, nec verecundia finis im-  
poni posset, habuisse cum cognatis consilium, quidnam se facere oport-  
eret. Abdicaret: sed tanto liberior fuisset luxuria. Castigaret:  
sed nihil castigando profecerat. Succurrisset cognatis & amicis ratio-  
nem, qua putarent juvenem posse emendari, si simularet pater amari  
à se meretricem, & daret pecuniam potissimum ipsi filio ad redimen-  
dam: quod si fecisset, futurum ut meretrix, redempta altera me-  
retrice, deinde ab ipso adolescente redempta, indignaretur, & il-  
lum amare desineret. Nam initio statim dicendum est, & culpa  
meretricis juvenem habuisse: & ideo quasitam, qua avocaret, &  
illa ratione datam juveni pecuniam. At illum protinus cucurrisset ad  
meretricem suam: patrem autem, quoniam nullo modo sanare fi-  
lium potuerit, ad ultimam ultionem confugere: Abdicare filium,  
quia emendare non potest.

## CCCLVII.

*Uxor non relinquens ob adulterium cecatum.*

ADULTER EXCÆCETUR. UXOR VIRUM IN CALAMITATE  
NE DESERAT. Quædam patri de marito ter quæsta, & tacere jus-  
sa, postea ab excæcato ob adulterium viro, quia non recedit, abdi-  
catur.

## S E R M O.

Hæc mulier dicet acceptum à patre maritum, se ab initio amare  
cœpisse: adolescentem, lenociniis adulteræ illius usque eo captum esse,  
ut revo-